

striis capitis decem corpore striis duabus albis longitudinalibus cauda bifurca. *Echeneis longissimus* striis capitis 16. corpore cinereo maculato, *Echeneis crassus*, corpore griseo fusco marmorato, cauda integra, *Chaetodon diacanthus* in Epistola ad cl. *Gaubium*, proximus hic ad Ciliarem tuum accedit, sed fasciatus fasciis quinque nigris, coerulesisque, nondum editus; *Chaetodon clypeatus* cauda bifurca, capite pectoreque clypeatis, corpore rufo fusco, Maculis albidis (20) hinc inde sparsis. quoad insecta cum mihi nondum satis temporis fuit, opus Drurii atque Schaefferi etc. cum tuo Systemate, atque collectionibus, comparandi, nihil possum affirmare certi, quam, *Mantem alis pallide flavis falcatis, macula ferruginea*, quem in tuo Systemate non inveni; Inter Amphibia, mihi est *Draco volans* singularis, quem Draconem vaginatum insignio atque definitio: Draco alis junctis sub *pedibus anterioribus liberis*, transeuntibus, abdomen vaginae instar includentibus; habitat in Molluccis; alæ subtus concavæ, sine radiis, expansæ, separantur quasi in membrana, laxa diaphana, maculis nigris tincta, qua abdomen includitur ad collum sub pedibus anterioribus transit, qui Liberi ea sustentur, superne alba nigro maculata, crista gularis nulla. — Hæc sunt *Vir. Celeb.* quæ de Zoologia tibi dicenda habui. quoad regnum vegetabile, nihil novi tibi, cui omnia accedunt dare possum, nisi; quod de omnibus, quæ mihi misisti seminibus, præter *fumariam nobilem* nullum pervenit nec ipsa nondum flores dedit *fumaria*.

Maximo desiderio tuam mantissam expecto alteram. Systema tuum ultimum Vindobonæ recusum accepi, nihil nisi vitiiis typographicis auctum, et ultimum modo, quod tu annotasti sphalma correctum. Sed an alia et melior proderit editio dubito cum in tomo secundo *Encyclopediæ* inveni articulo *Animaux* pag. 695. col. a. *Voici celle qui se trouve dans la 13. edition, que nous avons sous les yeux. la classe des oiseaux renferme 64. genres*, in Systemate XII. et Vindobon. 65. — pag. 696. *les amphibies* sont divisees en quatre ordres, &c. le quatrieme renferme *les Serpens* et la classe a 25. genres in Systemate XII. et Vindobon. 24. — *ibid.* la classe des Poissons contient 47. genres, ergo et hic unum genus additum; la classe des insectes etc. renferme 86. genres, ergo unum genus additum. la derniere classe *Vermes* &c. forment 80 genres, dummodo sunt 78 genera. on trouve ainsi 342 genres et plus de six milles especes, dum adsint 354. In otiis meis, tuos ordines naturales post editionem VI. generum plantarum perquirere occupatus sum; definitiones primarias ex tuo Systemate desumens, secundarias uti dantur ex Gouanii horto Montpellierensi, ubi ille mihi deficit ex Sloane, Browne, Pluknetio etc. desumens, relicta tamen radice; sed quidem fateor me eam methodum non intelligere, post quamque classem observationem adjungo, in qua, quæ